



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Iudicia temeraria quantopere detesta[n]da, quatenus item nos ipsos  
iudicare debeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Conscientia  
pharisaica.

se pertinere putarent sanguinis innocentis effusionem. Ad eò non læsam conscientiam suam sentiebant, vt sanguinem quem parabant fundere innocentem, licet reclamante atq; crimē suum renocante traditore, nihilominus perficere satagerent. Deinde vide quam infirmam vereq; pharisaicam habuerint conscientiam, vt non intrarent in prætorium, vbi super sanguine iudicatur, ne contaminarentur. Ad eò volebant videri mundi, qui ad eò fuere etiam cæci, vt sanguine quem emerant & fundi procurabant innocentem, non contaminari se putarent. O stulta & cæca præsumptio. Deinde precium sanguinis, ne aliam inquinaret pecuniam, non sinebant ad gazophylacium poni: & tamen multum laboris, quo ipsum sanguinem fundant, insunt: nec vt inquinentur, metuunt. Adduxerunt eum Pontio Pilato præfidi, non vt discutendum examinandum vè, sed quasi absq; vlla mora interficiendum.

*Iudicia temeraria quantopere detestanda, quatenus item nos ipsos iudicare debeamus.*

Iudicare alios  
quam sit periculo  
sum.

Iudicandum  
esse neminē

Iudicium temerarium  
quod sit, &  
quomodo  
vitandum.

Matth. 7.  
Luca 6.

Iudicare vti  
quilibet debeat  
seipsū.

Accusatores  
impiorum  
in diuino  
iudicio qui  
sint.

**D**iscamus nunquam velle hominem iudicare. Periculum enim ibi est multiplex, & facilis error: nam etsi qui ex officio (vt iudices constituti) debeant iudicare, reliqui tamen quibus hoc non incumbit officium, cur iudicant? cur tanto sese periculo committunt? Disce igitur tu neminem iudicare. Suspicionem fortasse licet inuito incidant, caue tamen sententiam qua definias, in animoq; tuo asseras aliquem esse malum. Periculum nunquid non satis tibi grandè videbitur, tantum te incidere peccatum, quantum illū deliquisse iudicas, si temere iudicas? Iudicas autem temere, dum non sufficiens, satisq; euidentis adest testimonium, quo ita cogaris de proximo sentire. Vnde si proximum mortaliter iudicas deliquisse, iudicandoq; erras, tu ipse sic temere iudicando, mortaliter peccas. Firmo igitur animi decreto statue tibi neminem iudicandum, sed quicquid audieris, quicquid videris, stupidum tene cor tuum, atq; in ambiguo (si non potes benè sentire) suspensum. Scito quia te multa latere possunt, quæ proximum excusare queant à peccato: quibus tu non cognitis, temere iudicas, si iudicas. Dicis fortasse, hæc non cognoui, quod fuisset per hoc aut illud excusabilis. Quod si sciuissem, non iudicasset. Nihil facis, nihil te excusas. Præceptum tibi à Christo est, neminem iudicare. Cogitare igitur debueras, posse & proximum tuum multis excusari, & te pluribus falli: quare à iudicando, cor tuum debebas seruare liberum. Admonemur quoque nos ipsos hic iudicare seuerius, quo iudicium extremum securi expectemus, non à Christo iudicandi, sed potius cum eodem iudicaturi. Quicquid enim in nobis iudicamus ipsi, in hoc non iudicabimur in iudicio Christi. Nihil igitur, ne minimum quidem, in se bonus finat Christianus præterire indiscussum, nō reprehensum, non iudicatum, aut nō correctum, atq; ad limam renocatum. Tu igitur in teipso vide, discute, & corrige quicquid in te compereris perperam dictum, factum aut neglectum. Omni tempore sta vigil super conscientia tua, vt vbicunq; te inueneris defecisse, tu prior mox accuses te coram Deo: & non accusaberis in vltimo iudicio, aut in termino vitæ, vbi multi erunt accusatores ijs, qui se hic à peccatis suis non purgauerunt in sanguine agni, puta Deus, angelus bonus, angelusq; malus, conscientia quoq; tua ipsius.

IESVS